DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
PERTRACTANS

MYELOPHTHISIM

QUAM

CONSENSU ATQUE AUCTORITATE

ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI

DOMINI

PRAESIDIS ET DIRECTORIS,

CLARISSIMORUM ET CELEBERRIMORUM

D. D. PROFESSORUM

PRO

DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE

LAUREA, SUMMISQUE IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME OBTINENDIS

IN CELEBERRIMA

ACADEMIA JOSEPHINA

PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT:

Balthas. Bagolly de S. Szent Királly,

Transylvano - Siculus

Medicus castrensis.

In Theses adnexas disputabitur in Aedibus Academiae Josephinae die mensis Julii 1838.

VINDOBONAE.

TYPIS CONGREGATIONIS MECHITARISTICAE.

Potentissimus stimulorum organicorum, sexualis, tantopere corpo imperat et animae, ut illius impetu facultates antea gliscent mirum in modum erigantur; et prouti composite aut incom posite viguerit, vitiis materia viresque obruuntur aut sp liantur.

Töltényi.

ILLUSTRISSIMO

AC

MAGNIFICO

DOMINO DOMINO

MICHAELI CONRAD

PENES THESAURARIATUM IN MAGNO TRANSYLVANIAE PRINCIPATU REGIUM

CONSILIARIO REGIO

ACTUALI INTIMO.

VIRO

SCIENTIIS, INTEGRITATE, HUMANITATE

INSIGNI

FAUTORI SUO SUMMO

MAXIMO

HASCE LITTERARUM PRIMITIAS IN PERENNIS GRATITUDINI
VENERATIONIS CULTUSQUE MONUMENTUM

SACRAT

devinctissimus
Auctor.

Lectori!

Doctoris medicinae et chirurgiae lauream obtenturo jubent leges academicae objectum aliquod, ex vastissimo medicinae campo desumtum, publicae submittere disquisitioni; urgent circumstantiae meae ad hancce dignitatem quam citissime properare. Arduum vero est propositum medico juveni viribus et instituta longiori tempore experientia deficientibus, aut quid novi invenire, aut in artis emolumentum proferre velle. Selegi mihi in materiam hujus dissertationis Myelophthisim, et qua scopum mihi proposui, ejus praecipue causas, prognosim, et therapiam breviter exponendi. — Si quid ut mancum, nec sat bene ordinatum reperies, considera, me non ex amore et pruritu scribendi, sed ex lege hancce tractatiunculam suscepisse.

Denominatio, Definitio et Descriptio Myelophthiseos.

Myelophthisis, (Rückendarre) tabes spinalis, tabes dorsalis, t. coxaria, t. dorsualis, atrophia dorsi, atrophia spermatozemica, atrophia venera, universalis est emaciatio, nimia seminis jactura per coitum immodicum et praecipue per onaniam oriunda, cum mira musculorum lumbalium extenuatione et paralysi partium corporis inferiorum plus minus perfecta.

Ut plenariam, quantum fieri potest, morbi imaginem, scopo prognostico et therapeutico proficuam, habeamus, tria in ejus decursu stadia distinguenda veniunt:

1. stadium debilitatis cum erethismo;
2. — debilitatis cum torpore;
3. — debilitatis cum colliquatione.

Stadium primum sequentibus nobilitatur signis: peculiari circumagitantur impatientia aegri, quietem perferre longiorem evadunt impotentes; ad motus continuo incitati peragendos citissime defatigantur, ac sedere coguntur vel decumbere; gressu abinde vacillante, titubatione genuum, tremoreque corporis totius summum virium muscularium in lucem edunt lapsum. Proclivitate in pathemata, insigni animi mobilitate, pervigilio, pusillanimitate, delirio, panophobia, hyperaesthesia, convulsionibus etc. plectuntur miseri. — Conspicua mox potentiae sexualis insequitur im-

becillitas cum immodica sensilitatis exaltatione, ita ut ab irritamentis libidinosis vel minimis per visum, auditum ipsamque solum phantasiam agentibus, imo sub alvi urinarumque excretionibus pollutiones frequentes non nocturnae modo, sed vel diurnae proliciantur. Quod si phoenomenon in continuum abiverit liquoris prostatici aut seminis veri stillicidium gonorrhaeae aut gonoboliae insignitur nomine. Ad quo altiorem malum hocce adsurgit gradum, eo magis labuntur vires, et eo magis sensuum in- et externorum motusque muscularis labefactatur potestas. Hebescit mens, memoria flaccessit, oculi scintillantes languescunt, visus initio hebes tandem abolitur: hinc caligines, amblyopia, amaurosis. Ingentes saeviunt dolores ad caput, regionem potissimum occipitalem, nucham, lumbos, vesicam, anum, et artus inferiores atque sensus formicationis per dorsum, aquae frigidae vel calidae per lumbos ad regionem sacralem delabentis. — Quae molestiae ad eam non raro increscunt vehementiam, ut agrypnia, deliria, febris ipsaequae accedant convulsiones. Doloribus his parum imminutis frigus in femoribus et cruribus sentire aegros observavit Swietenius, attactu licet haud perceptibile. — Ant. Stoerk asserit tensionem et ardorem continuum circa os sterni atque tussim siccam aegros saepissime molestare.

Stadium secundum designant: summa animi indifferentia, adiaphoria, somnolentia, torpor, paresis aut perfecta extremitatum inferiorum paralysis (paraplegia) vel lateris alterutrius (hemiplegia) secundum Hoffmannium. Maximam luunt poenam organa sexualia nec non his vicina; nisus coeundi penitus deletur, membrum dependens mox flaccidum virile, mox corrugatum ferme evanescit, marcescunt testiculi aut cum dolore notabili ad annulum retrahuntur abdominalem; itidem paralytica sphincteris ani et vesicae resolutio, unde coprorrhaea, et enuresis, quae ultima ad talem nonnunquam increscit gradum, ut aegri penem in receptaculo semper habere sint coacti. —

Pari ratione vel vitae plasticae functiones et organa chylificationis, assimilationis, sanguificationis et nutritionis graviter adfliguntur. — Languet adpetitus, et pauca, quae digeruntur, haud in succum convertuntur et sanguinem. Nimio hinc seminis dispendio amissum resarciri nequit, ideoque integrum devastatur et emaciatur corpus. Cutis et musculi marcescunt, sicuti ligamenta, praeprimis extremitatum inferiorum, relaxantur et infirma redduntur. Extenuantur prae aliis musculi dorsi, ut omnes processus vertebrarum spinosi mirum in modum promineant et columna vertebralis in gibbum incurvetur. Morbus in stadiis praeattactis per plures perdurare potest annos, irruit tandem

Stadium tertium, s. colliquationis, vitae finem rapidissime inducens. Pauci humores, qui adhuc in corpore supersunt exhausto, acorem contrahunt, secretionem et absorptionem confundunt et cachexias inducunt varias. Defiguratur facies, moesta, fatua, senilis evadit, cutis pallida, frigida, sicca. Defluunt capilli, oculi marcidi et retracti tandem coecutiunt, respiratio fit difficilis et stertens, accedit tussis plerumque initio sicca, brevique phthisis pulmonum purulenta, ingruit diarrhaea summe debilitans. Calor tandem urens, genarum rubor, horrores pomeridiani, pulsus celeres, parvi, urina parca, et sudores profusi aegrum exhaurientes, febris lentae discrimina designant. His demum sub cruciatibus horrendis vel sponte vitam efflant, vel inter anxietates et conscientiae morsus miseri consumti, manum sibi inferunt violentam.

Cadaverum sectiones illud peculiare praeter consveta morbo colliquativo propria, summa attentione dignum, offerunt, quod medulla spinalis, ad partem praecipue inferiorem, sic dictam caudam equinam, fere consumta sit, et modo peculiari alienata.

Aetiologia.

Proximam Myelophthiseos causam profluvium seminis sistit, triplici modo inductum, amplexibus scilicet veris, masturbationis crimine, et pollutionibus. Plurima autem haec, si non omnia stimuli sexualis vitia ab iisdem causis remotis repetunt originem, hinc in genere dispositionem profluvio seminis faventem, nec non causas id excitantes pertractare conabor. — In consideranda dispositione peculiarem merentur attentionem: dispositio haereditaria; aetas, sexus et vitae genus.

a. Dispositionem haereditariam in nonnullis satis superque evictam habemus individuis, prout enim habitus scrophulosus, phthisicus etc. jure quasi haereditario a parentibus ad proles et ultra transmigrant, sic et salacitat jus denegare non possumus haereditatis. Integras hinc veneris gaudiis abuti familias inque morbum, de quo sermo est, proclives animadvertimus. Unde per se patet abusu veneris omnem pessumdari vitam, animalem nempe et plasticam, ideoque proles, quas generat, depravatae suae indolis participes reddere debere.

b. Aetas. Illa vitae periodus praeprimis huic morbo favet, in qua functiones sexuales debitum assecutae sunt evolutionis gradum. Sunt ergo ad funestum hunc morbum dispositi, qui inter 14. et 40. versantur annum. Quin ideo negari possit nonnullos existere, qui ante pubertatis tempus veneri turpissimae nimis indulsissent, vitamque in flore suam quasi extinxissent, prout et contra senes inveniuntur, qui illicito amoris stimulo excoecati, quod illis superest parcum vitae robur exhauriunt.

c. Sexus. Viri, ob altiorem seminis virilis dignitatem, excessu Veneris gravius affliguntur, faciliusque tabem sibi inferunt dorsalem, ac foeminae. — Quae vero ob naturam irritabiliorem, phantasiam vividiorem et pruriginem in venerem majorem, rarius quidem in tabem dorsalem inciden-

tes, malis tamen non minus gravibus, plerumque nervosis, uti hysteriae, epilepsiae, convulsionibus, furori uterino etc. succumbunt.

d. Vitae genus. Commemoranda hic venit perversa juventutis educatio, qua fit, ut libidines, ratione moderare non edocti, deliciis corporeis passionibusque illicitis nimis indulgeant; consortium cum juvenibus jam corruptis castisque moribus orbis. Quod ultimum vel adultis periculum minatur, si vita lauta, otiosa et curarum expers accedat.

Causae nunc veniunt pertractandae procatarcticae, quae immodicum nec non insatiabilem in venerem nisum, uberioremque hac ratione seminis jacturam inducunt. Sunt hae internae et externae; illae porro universales et locales.

Causae internae:

a. universales. Conditio systematis nervosi peculiaris, erethismus morbosus, imaginatio exaltata, phantasia vivida, amor frustraneus, nevroses quaedam, uti epilepsia, mania, hydrophobia, furor uterinus etc.; plethora universalis; cacochymiae variae, venerea, scrophulosa, leprosa.

b. Locales. In viris major genitalium evolutio, et coitus justo frequentius celebratus; hac ratione enim fit, ut capacitas vesicarum seminalium et patientia stimuli spermatis decrescant, et inde pauco jam et aquoso collecto semine ad depletionem invitentur. Medorrhoea praeterea, levis testium aut prostatae inflammatio, verrucae, induratio, scirrhus, exulceratio, fistulae etc. — In foeminis leucorrhoea acris, condylomata vaginae, polypus uteri, induratio, scirrhus, cancer, vitia ovariorum, prolapsus vaginae, anomaliae mensium, graviditas, anni climacterici. — In utroque demum sexu organorum sexualibus vicinorum vitia varia, ut sunt: hernia, haemorrhoides ani et vesicae, calculus, vermes intestinales, retenta faecum et urinae excretio etc.

Causae porro externae sunt vel universales, quae totum exaltant organismum, et phantasia mediante alacriori pruritum in venerem inducunt; vel locales, quae organa genitalia stimulo afficiunt peculiari. Uti sunt: conversatio cum individuis lascivis, lectura librorum obscoenorum, picturarum lubricarum intuitus, ideae libidinosae, usus stimulantium, vini proprimis nimius, communis veneris amici, abusus aphrodisiacorum, cantharidum in specie, ac diureticorum; — frequens genitalium contrectatio et titillatio, lumborum frictio et flagellatio.

Duratio hujus morbi admodum varia est. — Exitus in sanitatem faventibus circumstantiis quandoque praesente jam leviori febricula impetratur; longe frequentior autem cernitur in nevroses chronicas, spasmos varios, choream St. Viti, epilepsiam, in omnem vesaniarum formam, in paralyses, apoplexiam nervosam, vel in diversas cachexiarum species, phthisim puta pulmonalem, trachealem, hydropem, scrorbutum transitus, — hisque mediantibus in mortem terminatio. —

Prognosis.

Morbum Myelophthisis semper gravissimum sistit, saepissime lethalem, sub faustissimis etiam circumstantiis, difficile et sero sanandum. Quandoque menses labuntur et anni ad formationem usque completam; si interea praetervidetur, negligitur, si causa excitans non vitatur, progressus facere consvevit, nullo artis labore amplius sanabiles. Quamprimum febres vexant, stomachus nec mollissima retinet juscula, alvus liquida redditur, et crura tument, malum ita invaluit, ut nulla arte devinci queat. — Juvabit praeterea aetatem, sexum, proximamque morbi causam commemorare, quae diversam quidquam admittunt prognosim. — Qui igne praematuro veneri indulgent juvenes gravius tentantur et difficilius morbi evadunt atrociae. — Viri ex argumentis superius allatis gravius mul-

ctantur ; facile enim hoc morbo adficiuntur, et admodum difficile convalescunt; — foeminae e contra libidinosae tardius hoc sibi malum contrahentes facilius medelam admittunt. — Gravius plectuntur et rarius salutem recuperant, qui modo illicito salacitati obediunt, quam qui veneris legitimae seducuntur illecebris. — Rarissime sanantur, quibus liquor seminalis flaccido etiam pene continuo fluit, aut per fistulas exortas stillat. — Complicationes demum gravissimae omnem plane elidunt sanitatis recuperandae spem.

Therapia.

In curando hocce morbo sequentes statuo indicationes implendas:

1.ulterius seminis dispendium prohibere;

2, jacturam massae organicae, viresque debilitatas et exhaustas redintegrare;

3. Symptomata tandem urgentia ad levandas aegri miserias in quantum fieri potest, mitigare. — Hinc tres hae indicationes, quamvis separatim considerantur, ad sanationem tamen impetrandam, qua principem curae finem, remediis congruis uno eodemque tempore adimpleantur necesse est. — Maximam primum et ante omnia attentionem meretur regimen diaeteticum congruum, omnique ex parte aegri statui accomodatum.

Cum nimius phantasiae vigor, mentisque imbecillitas praevalent, non a praesidiis pharmaceuticis, sed a psychicis inchoandum; omnia itaque caute fugienda sunt, quae phantasiam exaltant, stimulumque incendunt sexualem, et solerter omnis occupatio invitanda, quae attentionem aegrorum ad objecta innocua figit, ac cum corporis exercitio conjungitur. Uti sunt: lectura librorum scientificorum, seriorum, fuga solitudinis, consortium individuorum ejusdem sexus honestis mundisque exornatorum moribus, rusticatio, peregrinatio, et plura alia casui semper accomodanda individuali. — Magni porro est momenti vel aëris, in

quo aeger vivit, conditio, nec non corporis ejus exercitium. Aëre enim moderate calido, puro, sicuti exercitio corporis moderato, viribus aegri accomodato, vires musculares et nerveas augeri, excitari, adpetitum acui, digestionem promoveri, circulum accelerari languentem, et per levem quam inducit, defatigationem, somnum reddi reficientem ac quietum, compertum habemus. — Aër hinc ruralis, hinc ambulatio per prata viridia, floribusque ornata, labor hortensis, equitatio modica, aut vectitatio in curru non exiguam ad morbum tollendum aut saltem mitigandum contribuunt symbolam. Caveant tamen aegri a nimio corporis motu justoque diutius protracto, quo somnus turbatur, vires exhauriuntur, miseriaeque illorum multiplicantur ac augentur. — Pauca hic vel de somno, tam quam principe salutis tuendae et amissae recuperandae praesidio, commemoranda veniunt. Sit nempe somnus reficiens et quietus, somniis non interruptus terreficis. Inducitur hic abstinentia ab epulis lautis in noctem protractis, usu vini largiore, lectione librorum phanthasiam exaltantium, praecipue noctis tempore etc. — Supellectilia sint levia, decumbantque aegri in latus alterutrum; stragula subdura, optime e pilis parata equinis; calor lecti sit temperatus, aequabilis. — Aegri quantocyus evigilant, lectum deserere cogantur, ne voluptuosis sensuum blandimentis et insequenti inde pollutioni occasio largiatur. Qui somniis vexantur vividis et lubricosis, excitari debent, ne pollutio insequatur. Commendant nonnulli adcubitum individui sani, ut vires eo facilius refocillentur debilitatae. Ejusmodi autem adcubitum inter sexum minime convenire diversum per se intelligitur.

Non minorem merentur attentionem victus qualitas et quantitas, quae accuratissime a medico determinari debent. Sint ergo cibi digestu faciles, eupepti, parca semel manu adhibendi, saepiusque de die repetendi. Conveniunt hunc in finem jura carnium concentrata, panatellae, vegetabilia mucilaginosa, olera quaedam, fructus horraei cocti

ova sorbilia, carnes tenerae. — Omnibus tamen palmam eripiunt nutrimentis lac et lacticinia. — Commendant nonnulli lac humanum, usus tamen hujus sexui modo sequiori tabe detento dorsali, quadrare suapte patet, mammae enim nutricis cujusdam formosae in viris salacitatem, nisumque in venerem, pendulae vero ac turpes nauseam moverent. — Quod eo minus adhuc permittendum esse censeo, cum partes cujuslibet lactis constitutivae certe parum inter se discrepant, ut una prae alia nullam vel paucam habeat praerogativam. Usus tamen lactis secundum Tissotum non sit nimium protractus, et si flatus, ructus acidi, borborygmi, sensus ponderis in regione ventriculi in conspectum venirent, illico moderandus vel ex integro omittendus. Pro jentaculo potus arabicus cum lacte, seu ciocolata inserviant, cum sat bene nutriunt, digestionemque haud debilitant. — Magna potus copia, cum diuresim excitat facileque pollutionem inducit, nullatenus concedenda. Vel qualitas hic respici debet, et ille est modo concedendus, qui minus stimulat et modice nutrit; hinc aqua pura omnium praestantissima, sed et cerevisia bene fermentata, aromatibusque egena exigua tamen quantitate adhiberi meretur. Ubi aeger torpore detinetur, vel vinum caute concessum optatum exerit effectum.

Praesidia nunc veniunt pharmaceutica quidquam perlustranda, conditioni aegri statuique semper accomodanda, quae ulteriori seminis profluvio cohibendo, fervorique in venerem extinguendo innituntur. Secundum diversitatem causarum dispendium seminis sustinentium vel remedia esse multiplicia scopo prefixo inservientia facile intelligitur. Cum medicus rationalis in quolibet morbo primum et ante omnia in causis nocivis abigendis versatur, et cum e principiis generalibus pateat, quaenam in singulo casu hunc in finem attendenda, quaenam agenda, et adhibenda sint, hinc superfluum esset fusius desuper sermonem facere. Causis, utut fieri potest, enervatis, in nimiam aegri sensilitatem, quae illum aut in amplexum

continuo invitat, aut pollutiones inducit debilitantes, nec non in veram vitae debilitatem suam medicus attentionem figat necesse est. Remedia sunt hinc adhibenda, quae ipsam moderant sensilitatem, debilitatemque tollunt vitalem. Conducunt autem sensilitati moderandae sequentia: Camphora. Vim peculiarem in compescendo oestru venereo usus camphorae exerit, experientia quotidiana pluries jam confirmatam. Subjectis praecipue nervosis, sensilioribus spasmis vel convulsionibus detentis aut in ejusmodi adfectiones pronis, remedium praestat certe excellentissimum cum non stimulum modo sexualem deprimat, sed et antispasmodicum exerat effectum, motusque componat inordinatos, quin cordis et arteriarum vim incendat et circulum promoveat. Adhibetur vel in pulvere ad grana sex, vel in emulsione ad scrupulum pro die. — Lotiones porro cum Spiritu camphorato instituuntur. Camphora cum nitro aut cremore tartari copulata sub statu sthenico votis medicorum satisfacit. — Quanquam laudes, quae opio in hunc morbum tribuuntur, dubiae sint, cum experientia teste constet, opium vires exhibere potius aphrodisiacas, quibus tantum abest ut nisum in venerem imminuat, ut potius illum acuat et incendat, in illis tamen casibus, et quidem manu cauta, ubi a convulsionibus, tussi feroci, aut diarrhaea immodica majus periculum imminet, ac a stimulo venereo justo magis exaltato, adhiberi et potest, et debet.

Praestans porro remedium largitur frigus. Aqua nempe frigida genitalibus adplicata, nimiam illorum sensilitatem compescit, robur partium auget, profluviumque prohibet seminis. — Instituuntur vel lotiones cum aqua frigida mera, vel illa cum aceto mixta, vel linteamina, aqua frigida aut pauxillo aceti remixta, madefactata, aliquoties de die perineo, et parti uretrae inferiori superimponuntur vel semicupium frigidum pluries de die repetitum conducit. — Celsus, Aretaeus, Tissotus, et alii vel balnea universalia frigida commendant, nonnulli tamen in casibus illis, ubi nimia presto est debilitas, imminutione

quam inducit, calorici, principii ad omnem vitam summopere necessarii, plus detrimenti, quam emolumenti inferre serio affirmant. — Acida denique ac eorum aetheres optatum praestant effectum ad sistendas pollutiones morbosas. Eminent inter haec acidum aceticum, aether aceticus, acidum sulfuricum, elixirium acidum Halleri, et quod recentiori tempore tantam sibi promeruit laudem, acidum phosphoricum; notandum tamen est aegris adfectione pectoris detentis, in haemophthisim aut phthisim pronis minime convenire.

Vera vitae debilitate universali nec non atonia genitalium profluvio seminis favente praesentibus, remedia sunt adhibenda stimulantia et roborantia, localis praeterea conducit nonnullorum remediorum usus. Referuntur ad illa, quibus massa redintegratur organica, viresque organismi debilitatae roborantur; cum non tantum corpus restaurent ac roborent, sed peculiari ratione vel in organa agant genitalia, duplicique hinc sub respectu medici satisfaciunt votis; ad quae rite seligenda ac determinanda, casuique accomodanda individuali summa opus est medici prudentia ac industria. Remedia secundum stadium, in quo morbus versatur, varia sunt. In stadio nempe primo, ubi debilitas cum erethismo adest, roborantia adhibeantur necesse est. Stimulantia fortiora in hoc stadio non bene feruntur, cum calorem animalem augeant, orgasmum inducant, febrem excitent, stimuloque in Venerem indulgeant. Optime hic roborantia amara conducunt, uti: Centaureum minus, Trifolium fibrinum, Gentiana hisque similia; cum remediis his, si quae adsunt, sordes gastricae eliminentur, viaeque primariae et secundariae pro usu roborantium fortiorum praeparentur. — Inter haec Cortex peruvianus, ferrum, ejusque praeparata eminent. — Ab initio corticis peruviani infusum frigidum, deinde decoctum saturatum vel merum vel lacte mixtum adhibetur. — E ferratis, limatura ferri, extractum malatis ferri, ejus tinctura, vinum martiale, vel aquae ferratae porriguntur. — In initio extractum malatis ferri ejusque tinctura a Drachma una ad duas de die in vehiculo

aquoso, ob digestionem faciliorem, exhibeatur. Efficacior e limatura ferri, quae aut sola, aut cum pulvere corti peruviani juncta a granis sex ad srupulum de die propi tur. Summis porro extollitur laudibus usus aquarum f ratarum, sive interna sit earum adplicatio sive exter Pro usu interno aqua Spaana a libra una ad quatuor sola vel cum lacte aut vino exhibetur, cujus loco vel aq Pyrmontana martialis, aqua Driburgensis aut Schwall chensis eadem dosi porrigi possunt. — Magnam deniq attentionem merentur balnea universalia frigida, cum miam sensilitatem compescant, et contractione, quam p vocant, robur organicum et vitale augeant. Ubi tam debilitas est nimia cum torpore juncta, plus damni qu emolumenti inferrent e causa superius memorata. Plus em lumenti in hoc casu a balneis tepidis vino aut aliis stim lantibus junctis sperare licet.

In Stadio secundo, ubi debilitas cum torpore ince usus stimulantium et quidem fortiorum requiritur; ut su Valeriana, Arnica, Moschus, Camphora, Balsama, Aet res, Ammonia, Rus Radicans et Toxicodendron et si lia, quae formulis notis, dosibusque congruis exhibean oportet. — Morbo autem in stadium tertium transgredie minima certe sanitatis recuperandae affulget spes. — M dicus tamen in auxilium vocatus in aegri solatium om tentare et adhibere tenetur, quae vel minime profutura se apparent. Praeter roborantia adstringentia huc refer tur acida mineralia diluta nec non illa, de quibus sub ra symptomatica mox fusius loquar.

Praeter enumerata vel localis nonnullorum remed rum conducit usus: lotiones nempe genitalium cum v rubro, spiritu vini, cum solutione balsami peruviani alcohole; inunctiones linimenti volatilis, unguenti nerv tincturae cantharidum in regione lumbali, in perinaeo. leber. Hufelandus solutionem sequentem mane et vesp ad originem nervorum lumbalium et pudendorum illini dam suadet:

Rp. Camphorae Drachm. duas.
solve in
Aether. Sulf. unc. duabus.
adde
Tinct. Cantharid. unc. unam et semis.
M. D. S. ut supra.

Remedia quaedam chirurgica praeter haec a veteri-us commendata fuere, quae tamen excepta castratione, e ullum quidem inferunt levamen, imo potius morbum ario modo intendunt, exasperant. Numerantur ad haec: ifibulatio, circumcisio, et castratio. — Infibulatio, a ve-eribus modo instituta, in eo consistit, quod praeputium xtensum in duobus punctis sibi oppositis acu perforetur t in foramina cicatrisata fibula immitatur. Hanc operatio-em amplexum verum impedire onaniaeque obstare nemo egabit; quoniam vero stimulum sexualem non tantum non nminuit, sed irritatione, quam infert, hinc inde etiam in-endit, pollutionibusque occasionem largitur, hinc operatio aec oblivioni merito tradenda. — Minus adhuc, vel fer-ie nihil sub hoc respectu a circumcisione expectandum, xperientia enim et ratione constat, hanc nec coitum ve-um, nec masturbationem impedire, neque pollutionibus bicem ponere posse. — Efficacissimum et unicum fere au-ilium in castratione est, cum fontem, qua seminis secre-o contingit et a quo ipsa scaturit salacitas, penitus anni-ilet ac extinguat. Quia vero aegri miserrimi crudelem anc evirationem eo nonnisi tempore concedant, quo, re-iediis aliis jam longius et incassum adhibitis, omnis fer-ie spes salvationis evanuerit, hinc certe vel ab hac ope-atione, omni ex parte dolorifica, in aegris jam summo-ere exhaustis ac emaciatis parum emolumenti exspectan-lam.

Secundum indicationes supra statutas tertia hic venit onsideranda, symptomata nempe urgentia ad aegri mise-ias levandas, in quantum fieri potest, mitigare. — Dolo-es vehementes per columnam vertebralem saevientes, fri-

ctionibus siccis, illinitionibus cum Balsamo Opodeldoc linimento volatili aut unguento opiato moderentur, refr nentur. — Torpor extremitatum ac paralysis inunctione cum oleis, spirituosis, et substantiis fragrantibus, vesicar tia, fonticulum in sacrali regione, balnea martialia, ne non usum stimulantium fortiorum volatilium expostula internum. — Symptomatibus nervosis gravioribus campho ra, moschus, opium et alia opponantur nervina. — Imp tentia virilis, quae utplurimum aegro quanquam reconv lescente, remanet, certe rarissime sanatur, quod si co tingat, nonnisi lente inducitur. — Balnea frigida, lotion similes aut spirituosae bonum praestant effectum. Uberi hic de tractamine symptomatico sermonem facere supe fluum esse arbitror, cum cuilibet medico e generalibus p teat, quid in tali casu sit agendum; immemor tamen nu quam sit oportet, se morbum coram habere ex humor jactura ortum, nec non in debilitate consistentem unive sali.

Proximam Myelophthiseos causam in profluv seminis consistere, illudque triplici modo induci posse, a divimus; cum autem morbus, de quo tractabatur, origine utplurimum crimini masturbationis debeat, hinc e re es putavi, peculiaria quaedam de hac, quantum limites disse tatiunculae admittunt meae, proferre. — Satis superq constat, veneris abusu organismum pessumdari; quo n nus autem naturae legibus usus veneris accomodatus fu rit, eo citius totus devastatur et exhauritur organismus. Maximum hinc imminet periculum e talibus amoris in tamentis infelicibus, intelligo hic crimen masturbation turpissimum. Cum autem immanis haec actio a plurim initio celatur, rebusque nonnisi conclamatis commissi pe cati se nocuos accusant, et medici, proh dolor! saepe n mis sero expostulant auxilium, hinc e re mihi videtur, gna indicare prima, suspicionem, quendam turpi huic vit esse deditum, moventia. Praeter generales seminis depe diti effectus huc numeramus: languorem, lassitudinem

emaciationem universalem appetitu vigente, praesentibusque cibis sat bene nutrientibus, pallorem faciei, mentem confusam, taedium, inconsequentiam in actionibus, peculiarem nisum in locis solitariis morandi, visum fixum, singularem, si ab aliis aspiciantur, inquietudinem, vocem raucam, sibillantem, cardialgiam, cardiopalmum, efflorescentiam papillosam in facie, praecipue fronte, sudorem in regione scroti partialem; automaticum manuum motum ad genitalia, singularemque illa contrectandi libidinem, quod nonnunquam vel sub somno contingit. — Linteamina praeterea et indusia semine virili coinquinata. — Accurata et sedula aegri observatione suspicio demum ad certitudinem deducitur, observatione praecipue aegri de nocte in lecto decumbentis, vel aegri relatione argumentis firmis ad confessionem commoti. — Quae de momentis generatim, profluvium seminis nimium efficientibus, prolata sunt, vel masturbationi favent, aetate praeprimis juventutis, qua occasione utplurimum amplexum celebrandi verum deficiente, modo illicito magisque nocivo illum imitatur. Cur autem ipsi viri nonnunquam peculiari quasi pica seducti, coitum naturalem recusantes, masturbationi se dedant turpissimae, imparem me huic explicando lubens declaro.

Indulgent jam turpi huic vitio proles sexus utriusque vix trium quatuorve annorum; deleteria haec praeprimis in institutis collegiisque grassat consuetudo, credendum tamen nullatenus est, pueros ac puellas in suis viventes familiis immunes ab hocce existere vitio. Transplantatur communiter ejus cognitio per alios huic jam deditos; quid? quod nonnulli auctorum absque omni plane communicatione per motum quendam solum instinctualem exoriri posse serio contendant.

Gaubius in Institutionibus Pathologiae medicinalis (§. 562), sequentia de hocce vitio profert: immoderata seminis profusio, non solum utilissimi humoris jactura, sed ipso etiam motu convulsivo, quo emittitur, frequentius repetito, imprimis laedit. — Etenim summam volup-

tatem universalis excipit virium resolutio, quae crebro ferri nequit, quin enervet. Colatoria autem corporis, quo magis emulgentur, eo plus humorum aliunde ad se trahunt succisque sic ad genitalia derivatis, reliquae partes depauperantur. Inde ex nimia venere lassitudo, debilitas, immobilitas, incessus delumbis, encephali dolores, convulsiones, sensuum omnium, maxime visus, hebetudo, caecitas fatuitas, circulatio febrilis, exsiccatio, macies, tabes e pulmonica et dorsalis, effeminatio. — Augentur haec mala, atque insanabilia fiunt ob perpetuum in venerem pruritum, quem mens non minus, quam corpus, tandem contrahit, quoque efficitur, ut et dormientes obscoena phantasmata exerceant, et in tentiginem pronae partes quavis occasione impetum concipiant, onerique et stimulo sit quamlibet exigua reparati spermatis copia, levissimo conatu, et vel sine hoc, de relaxatis loculis relapsura. — Quocirca liquet, quare adolescentiae florem adeo pessumdet iste excessus.

Non possum caeteroquin non confiteri plurimos Auctorum, qui de hocce vitio tractavere, adeo immanem horrendamque tradidisse hujus imaginem, ut lectura eorum plus detrimenti inducat ac emolumenti. — T i s s o t praeprimis serio asserit nonnullos vidisse huic crimini deditos effigie humana ex integro exutos, brutisque ac monstris perquam similes exstitisse. — Deleteria inquam est lectura horum pro ipsis huic vitio deditis, cum enim nullatenus, aut saltem rarissime, illos experiantur effectus horrendos, quos semper et constanter irruere hi Auctores affirmant, ulterius huic incumbunt vitio, credentes, illos ab actione modo quadam puerili his Auctores abhorrere voluisse; deleteria porro pro parentibus, hi enim curam suorum in illo plane momento, quo ad malum radicitus evellendum, perquam necessaria fuisset, e causa nunc allata, penitus negligunt. —

Ad avertendum ac impediendum hocce vitium parentes curam suorum tempestive gerant necesse est, et quam

rimum vel minima exoriatur suspicio, cura acuenda; in
d praecipue attendendum, ne proles loca solitaria quae-
ant, et tunc modo licentia lectum petendi permittatur,
um evidentem dormiendi ostendant cupiditatem, et utpri-
num expergefiunt, lectum illico deserere cogantur. — Hoc
alet vel de illis, qui in Collegiis ac Institutis sub auspi-
io informatorum suis incumbunt studiis. — Si proles non-
ullos jamjam hujus vitii effectus in lucem edant, paren-
es seu alii illarum curam gerentes medicum desuper in
antecessum instruere debent, qui tandem sub accessu suo
apud aegros ita se gerit, ut videatur mali causam ex aspec-
tu solo eruere posse ac sciere; sicque phantasiam aegro-
tantium auctoritate ac colloquio serioso erigere molitur,
usumque remediorum, quae adhibenda veniunt, strenuo ju-
bet et imponit — Sequentia commemorari in specie meren-
tur: exercitatio virium muscularium ad defatigationem us-
que, praeprimis antequam ad cubiculum se conferant dor-
mitorium; continua mentis occupatio, distractio, peregrina-
tio, abstinentia a spectaculis, quae salacitatem ciere pos-
sent, usus balneorum in flumine, natatus in illo, balnea
frigida pluries de die repetita, imo vel de nocte ad erectio-
nes compescendas; nutrimenta digestu facilia, carnes nem-
pe tenerae, aromatibus carentes, fructus maturi; potus aquo-
si; obstinentia a Coffea, vino, aliisque spirituosis; coena
parca, pluribus ante tempus dormiendi horis consummenda.

Si cura, consilia, nec non praesidia superius allata ad compescendum, reprimendum hocce malum non sufficiant, si individua ratione jamjam in sequelam hujus vitii orba nullatenus obediant, remedia vim illis inferentia, quae apta sunt exercitio hujus vitii obicem ponere, tempore praecipue noctis adhiberi debent. — Manus ambae eatenus ligandae sunt, ne genitalibus admoveri possint; manus porro ambae chirothecae non digitatae e linteo aspero paratae immittantur, imo in casu necessitatis ipsa tunica impellens (Zwangsjacke) commendari meretur. — Plura porro remediorum mechanicorum eum in finem inventa sunt, ut attac-

tus prohibeatur et impediatur genitalium, — remedia, qua
de die magis, ubi usus manuum totus tolli nequit, scop
satisfaciunt praefixo. — Sunt illa utplurimum cingula lori
provisa cruralibus, ope quorum clathri ex argento vel pla
tina parati eatenus regioni pubis applicantur, ut ejus ex in
tegro arceatur attactus. — Dubitare tamen de effectu ho
rum omni ex parte prospero revera licet; absque fructu
haec nonnunquam apud puellas praeprimis in usum vocan
tur, hae enim decussatione ac motitatione femorum, pres
sione genitalium ad angulum mensae, sellae etc. imo con
tractione solum musculorum perinaei rigoreque caeterorum
suis satisfacere capaces sunt votis illicitis.

Literatura.

Avicenna, Libr. III. Tract. I. Cap. XI. de vi nociva coitus nimii.
Boerner, von der Onanie. Leipzig 1776.
Brendelius, I. P. opusc. med. Pars II. Gött. 1769.
Cullenius kurzer Inbegriff der medic. Nosologie. I.
Dzondi, Beyträge zur Vervollkommnung der Heilkunde. Halle 1816. VI.
Encyclopädie der medicin. Wissenschaften von Fr. Ludw. Meissner und C. C. Schmidt, 13. B. Leipzig 1830 — 1834.
Fischer, Heilung einer mit Atrophia testiculorum verbundenen Tabes dorsalis in Hufeland's Journal. 1804. III.
Hippocrates, de morbis, libr. II. de int. affect.
De Plouquet, Literatura medica digesta, sive repertorium. 1809. Tom. III. IV.
Pluta chus de puerorum institutione, Cap. 10.
J. N. nob. de Raimann Principia Pathol. ac Therap. spec. T. II. Viennae 1835.
Richter, A. P Specielle Therapie IV. Berlin 1816.
Rust's Magazin etc. Berlin 1826.
Sachtleben, Versuch einer Medicina clinica der auszehrenden Krankheiten. Danzig 1792. I.
K. G. Schmalz, Versuch einer med.-chirurgischen Diagnostik etc. Dresden und Leipzig. 1825.
R. Solenandri, consil. med. Sect. V.

S. A. D. Tissot von der Onanie, übersetzt von J. G. Kerstens. Leipzig 1784.
S. A. D. Tissot v. d. Onanie etc. A. d. Lat. von Wendelstädt. Marb. 1800. 8.
J. C. Wichmann de pollutione diurna, frequente sed rarius observata tabescentiae causa. Goett. 1782. 8.
J. C. Wichmann, kleine medicinische Schriften. Wien 1801.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Dantur morbi salutares.

II.

Sexus sequior, ut in omnibus fragilior, etiam fragilioribus instructus est viribus sensiferis, prolixius in anomalias ruentibus.

III.

Largior piscium et quotidianus usus ad venerem exstimulat.

IV.

Non dantur diuretica absoluta.

V.

Medicus cuilibet aegro nunquam non profuturus.

VI.

Plus a paupertatis aerumnis, ac morbis et morte dependit aurum mortales.

VII.

Physiologiae basis Physica.

VIII.

Pollutio semper morbosa.

IX.

Datur morbus glandulae lachrymalis, ejus exstirpatio-
nem indicans.

X.

Topicum medicamenti effectum nego.